

dem ponderationem his verbis proponit: Valde nobis in hoc Christus commendavit sacram Scripturam, dum omnes istos Diaboli conflictus sacra Scriptura auctoritatis superavit. S. THOM. VILL. conc. 1. in *Dominic. I. Quadr.*

**DAMNUM VITÆ LECTIÖNIS.** — Nota est historia, quam liber Josue tradit de Achau, qui furto suo contra Dei præceptum admissio, populi illius, qui magnis passibus ad terram promissa acquisitionem properabat, victoriosum sistit eum. Circa quod factum admirandus Origines, talem format discursum: Videamus peccatum ejus quale sit; furatus est regulam auream, et posuit eam in tabernaculo suo. Non puto, in illo furto parvi auri, tantam vim fuisse peccati, ut tam numerosam Domini Ecclesiam macularet. Sed videamus, ne forte interioris intelligentiæ sit tanta ac tam gravis acerbitas ista peccati. Multus decor est in verbis, et multa in Philosophorum vel Rhetorum sermonibus pulchritudo, qui omnes de civitate Jericho, id est, hujus mundi homines. Si ergo invenias apud Philosophos perversa ludenti regulam assertionibus decorata, ista est semina aurea; sed vide, ne te decipiat fulgor operis, ne te rapiat sermonis auri pulchritudo. Memento, quia Jesus anathemata jussit esse, omne aurum, quod in Jericho fuerit inventum. Si poetam legeris, modulatis versibus et præfulgido carmine deos, deasque texentem, ne delecteris eloqui suavitate, regula aurea est; si eam sustuleris, et posueris in tabernaculo tuo, si introduxeris in cor tuum ea, que ab illis asseruntur, pollues omnem Ecclesiam Domini. Hoc fecit infelix Valentinus et Basilides, hoc fecit et Marcion, Hæretici. ORIGENES hom. VII. in *Josue*.

Querunt nonnulli, cur Dæmones a corpore hominis obsessi, a Christo exire jussi, potius ab eodem petiere licentiam ingrediendi in porcos, velut in centrum ipsorum, quam in alia nobiliora animalia? Hujus utique causa non est alia quam quia libri obsceni et turpes, sordidissimi sunt Dæmonum cibis, quibus sicut porci glandibus satiantur, quibus S. Hieronymus in epistola quadam ad S. Damasum, libros lascivos similes esset dicit; ac proinde Petrus Blessensis in epistola quadam, ad ejusdem nominis M. Petrum Blessensem, eum a lectione librorum profanorum, in sacrorum et spiritualium lecturam exhortans, his eum verbis

affatur: Exi, quæso, de fœditate porcorum ut pascaris in deliciis domus Dei; mensa enim sacra Scripturæ contra omnes spirituales nequitas tibi parata est. Ideo mensa Tabernaculi ad Aquilonem posita memoratur, propterea scriptum est: «Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me.» PETRUS BLESSENSIS, ep. LVII.

Persona quadam fide dignissima retulit, quod, cum eo tempore, quo emergentis quidam exoreizabatur, ad eundem quoque locum curiositatis causa juvenis quidam studens convenisset, Dæmon eidem cum magna benevolentie significatione occurrit, dicens: Beneveneris, mi dilecte Presbyter, qui Missale meum in sinu tuo semper tecum defers, alludendo ad poema Ariostii, quod semper secum habebat, quocumque iret. Unde non sine causa auctor quidam se lectionem profanam supra modum detestari ait. Sicut enim Christus suos habet Evangelistas, ita quoque Dæmon Evangelio tot poetas et auctores obscenos et profanos, veluti totidem Evangelistas suos opponere nititur. MANSI, disc. XVI, n. 12.

S. Joannes Apostolus in Apocalypsi hanc sibi visionem in spiritu ostensam esse scribit: «Vidi, et de ore draconis, et de ore bestie egressos spiritus tres immundos, in modum ranarum.» Porro per hunc draconem Rupertus Abbas Dæmonem intelligit, inquit: Draconis nomine Diabolus significatur. At vero quid hæc rana denotabant? Idem venerabilis auctor scribens super caput trigesimum secundum Lib. primi Exod. et super præfatum Apoc. textum, per hæcce ranas lascivorum Poetarum libros et tractatus intelligendos esse, dicit. De his enim idem Rupertus ait: Rogitant Spiritus immundos aspirare sibi, sacrilega præsumptione Deos appellantes, cum Dæmones sint. Hi autem ex ore draconis infernalis egrediuntur, quia libri et poemata illorum veri sunt Dæmonis partus. *Ibid.*

**DAMNUM NEGLECTE LECTIÖNIS SACRÆ.** — Holophernes Bethuliam invasurus, quo putatis usus fuerit stratagemate? dum circuit per gyrum, reperit, quod fons, qui influebat, aquæ ductum illorum a parte australi extra civitatem dirigeret, et incidi præcepit aquæ ductum illorum. Philisthæi pariter populum electum devincere volentes, omnes gladiorum et lancearum fabros et artifices e terra Israel evocarunt. Porro faber ferrarius non inveniebatur in omni terra

Israel; caverant enim Philisthæi, ne forte facerent Hebræi gladium aut lanceam. Nunc igitur tam Holophernes, quam Philisthæi, inimicos figurabant infernales, qui aquæ ductus incidere conantur, armaque auferre; scilicet librorum sacrorum lectionem, aut abolere, aut impedire. Ita namque Glossa dictum libri Judith textum, et illum alium libri Regum interpretatur, dum ait: Hoc enim maxime Diabolus studet, ut doctrinæ fluentia, et virtutum arma auferat, et sic sævitiam suam in interitum servorum Dei velociter expleat. JUTH. c. VII. MANSI, ib. n. 8.

## LIBERALITAS.

## QUOD ESSENTIAM.

**DEFINITIO.** — Est virtus, ad liberam largitiones pecuniarum, sine spe retributionis, inclinans. (S. AUG. de *Defn.*) Vel, ut alius definit, est habitus virtuosus in quærendis erogandisque pecuniis decorum servans; atque adeo inter avaritiæ et prodigalitatæ extrema consistens. Pecuniæ autem nomine intelligitur, quidquid pecuniis æstimari potest. S. Ambrosius notat, eam etiam Benignitatis et Beneficentiæ nomine appellari. Benignitas quidem, si præcise in affectu consistat (neque enim satis est, inquit, benefacere, nisi id ex bono fonte, hoc est, ex bona voluntate proficiatur). Beneficentiæ vero, si effectum cum affectu jungat, ad quem hortatur Apostolus, dicens: Nunc vero et factu perficite, ut quemadmodum promptus est animus voluntatis, ita sit et perficiendi ex eo, quod habetis. II. Cor. VIII, 11.

**DIVISIO.** — Duo sunt genera liberalitatis, Cicerone teste, unum est in dando beneficio, alterum in reddendo. Illud in nostro est arbitrio, hoc negare non licet viro bono, si quidem sine gravi damno præstare possit. Lib. I. de *Offic.*

**ACTUS.** — Bona sua Christo, pauperibusque ad usum sine tædio communicare.

Eadem pro Dei honore, et proximi utilitate, liberaliter impendere.

Esse fugitantes litium, abhorrentem a jurgis, et suo jure potius cedere, quam aliena jura pulsare.

Prævenire preces alterius; nam ut recte Poeta cecinit.

Gratius est donum, quod venit ante preces. Liberali et benevolenti affectu offerre; nam Liberalitas, teste S. Ambrosio, non cumulo patrimonii, sed largitatis definitur affectu. de *Vindictis*.

Cito offerre, quod dare quis decrevit; nam, ut Seneca recte dixit, duplex fit bonitas, cum accedit celeritas.

Non diu differre negationem, si dari non potest, quod petitur; nam, teste Cassiano, honestius est negare, quam longos terminos dare; quia minus decipitur, cui celeriter negatur. In *Epist.*

## EX S. SCRIPTURA.

**QUALITAS.** — In omni dato hilarem fac vultum tuum; et in exultatione sanctifica decimas tuas. *EccL. XXXV, 11.*

Bono animo redde gloriam Deo; et non minutas primitias manuum tuarum. *Ib. 10.*  
Noli offerre munera trava, neque enim suscipit illa (Deus). *Ib. 10.*

**UTILITAS.** — Munus absconditum extinguit iras, et donum in sinu indignationem maximam. *PROV. XXI, 14.*

Qui odit avaritiam, longi fient dies ejus. *PROV. XXVIII, 16.*

Beatus est magis dare, quam accipere. *ACT. X, 35.*

Alii dividunt propria, et ditiores fiunt; alii rapiunt non sua, et semper in egestate sunt. *PROV. XI, 24.*

Da Altissimo secundum datum ejus, et in bono oculo adinventionem facito manuum tuarum; quoniam Dominus retribuit est, et septies tantum reddet tibi. *ECCL. XXXV, 12.*

**DIGNITAS.** — Oblatio justii impinguat altare, et odor suavitatis est in conspectu Altissimi. *ECCL. LXXXV, 8.*

Sacrificium justii acceptum est, et memoriam ejus non obliviscetur Dominus. *Ib. v. 9.*

## EX SS. PATRIBUS.

**QUALITAS.** — Affectus divitem collationem facit, aut pauperem, et pretium rebus imponit. Hinc Christus duo ara viduæ illius

divitum muneribus prætulit, quia totum illa, quod habuit, contulit. S. AMB. lib. I. *de Offic.*

Non est perfecta liberalitas, si jactantia magis causa, quam misericordiæ largiaris. Affectus tuus nomen imponit operi tuo. Quomodo a te proficiscitur, sic estimatur. Ibid.

Nemo plus tribuit, quam qui nihil sibi reliquit. Id. I. *de Viduis.*

Nemo invitus benefacit, etiamsi bonum est, quod facit; quia nihil prodest spiritus timoris, ubi non est spiritus charitatis. S. BERN. *ad Eugen.*

Etiam bonorum operum sumptibus immoderatum esse non decet. Pulchra liberalitas etiam erga pauperes mensuram tenere, ut abundantis pluribus, non conciliandi favoris gratia ultra modum fluere. S. AMBR. *de Offic.*

Numquam est vacua manus a munere, si arca cordis repleta est bona voluntate. S. GREG. I. XIX. *Mor.*

Nulli parvus est census, cui magnus est animus; nec derei familiaris mensura pendet modus pietatis.

Majora quidem sunt impendia divitum, et minora medioerium; sed nec discrepat fructus operum, ubi non deest affectus operantium. S. GREG. *in Regist.*

In liberalitate modus adhibendus est rerum, et personarum; rerum, ut non omnia uni, sed singulis quadam præsentur, ut pluribus prodesse possimus; personarum, ut primum justis, deinde peccatoribus, quibus tamen prohibemur dare, non quia homines, sed quia peccatores sunt. Modus liberalitatis tenendus est, ut quod beneficiis quotidie facere possis. S. AMBROS.

Largitas, liberalitas et beneficentia regia laudes sunt. LACTANTIUS.

Hilaris dator non solum a Deo diligitur, sed et qui tribuit in simplicitate. S. BERN. *sup. Cant. ser. XXVII.*

Qui liberalis benignusque est, officium non fructum sequitur. S. AUG. I. II. *Meditat.*

Dandum est, quod nec tibi nec aliis noceat. Id. *de ser. Domini.*

Beneficia pauperibus magis quam divitibus eroganda. S. AMBR. I. II. *Offic.*

UTILITAS. — Non putemus aliud, dum benefacimus aliis, quam quod magnum quoddam beneficium apud Deum deponamus. Nam ipsi sumus, qui beneficio fruimur,

et multum lucri inde nobis conciliamus. S. CHRYS. hom. XXVII. *in Gen.*

Parva ex voto offerentis fiunt magna munera; consumunt autem auctorem suum, quæ constiterint extorta. VALER. *in Ser.*

DIGNITAS. — Justitia et beneficia tam immortales sunt, quam mens et anima, quæ bonis operibus similitudinem Dei assequitur. LACTANT. I. *de Ira Dei.*

Nihil tam divinum habet homo, quam de aliis bene mereri, tametsi ille majora, hic minora beneficia conferat, uterque nimirum pro viribus. S. GREG. NYSS. *in Orat. de Pauper. amand.*

Hæc est felicitatis comes; hæc est omnium virtutum laudatissima; hæc assidet Deo et magna est cum ipso necessitudine conjuncta.

#### EXEMPLA CATHOLICA.

Leo X nulla in re ardentius et effusius quam ad liberalitatis gloriam anhelavit, eos principe loco indignos existimans, qui non beneficia manu facultates suas erogarent. Purpuream crumenam quotidie aureis nummis sibi repleri jubebat, ad incertas exerecndæ liberalitatis occasiones. Magnum veteranorum militum ac exulum alebat numerum; nihilque vehementius contendeat, quam ut nemo calamitatem et fortunæ adversæ mala et incommoda pateretur. Tanta agrestium populorum gratulatione atque lætitia accipiebatur, ut cuncti ejus adventum se vel fertilissimis messibus fertiliorem sentire faterentur, utpote qui senibus ac pueris effusus in viam, ac rustica munera offerentibus non modo pecuniam largissima manu offerebat sed etiam appellando, quamam in re acris premerentur; et virgines quidem dotæ prebilitas sublevaret; affectus autem morbo et ætate, vel numeroso familiæ onere prægravatis æs alienum protinus dissolveret. JOVIVS, *in Leon. X. I. IV.*

S. Nicolaus, Myræ Episcopus, cum cognovisset, civem quemdam tres filias suas ob inopiam prostititine cogitasse, per trinas noctes tantum pecuniæ clanculum in ejus domum iniecit, quantum abunde sufficiebat ad omnes tres dotandas. SCR. *in Vita VI. Dec.*

Cum Richardus, Britannie Rex, natalitius Christi Salvatoris diebus auro gemmisque sacram ædem, quam in palatio habebat, pro

more exornasset, atque Aguenis Episcopus, Bonifacii Pontificis Legatus, mane in ea sacrificium peregrisset; dum is pontificias exueret vestes ex are ornamentis nihil moveri Rex jussit, apprehensoque postea humane per manum Legato, cum ad aram accessisset, dixit æquum non videri Pontificium Legatum in aliena veste, ornamentisque sacrificare, propterea quæcumque in eâ æde essent ei dono se dare. BAPT. TULG. I. IV.

Clemens Pontifex viduarum, orphanorum et reliquorum Christi pauperum nomina in codicillo feriatim descripta lectitabat, ne quem die ullo præteriret, cujus miseriam non sublevaret, et (quod majus est) ad longinquas regiones transmittit indigentibus subsidia. Neminem ex his, quos ad veritatem ab errore converterat, passus est mendicare, ut qui se auctore jam Christo viverent, se quoque auctore famem non timerent. Ibid.

Usvaldus, Britannie Rex, miserorum turbam quotidie ad se in atrium confluentium alere solitus perhibetur, et quo die quodam major esset mendicantium multitudo, quam ciborum copia, ne eos, qui superfuissent, vacuos dimitteret, totidem argenti fragmentis aurea lancea comminuta donavit. Forte aderat Adrianus, Indifranensis Episcopus, et liberalitatem miratus, apprehensam Regis dexteram dum deosculatur, ait, tam promptam in dando manum senescere prorsus non debere. Hinc aiunt, adhuc integram in monumento, illibatamque ostendi, ut quam merito id olim ab Episcopo prolatum fuerit, tam certus eventus testis etiam posteris foret, ipsius animam fulgere in celo, cujus corporis pars tot jam annos incorrupta permanere cereretur in sepulchro. Ibid.

Carolus Magnus, ut Adrianum Pontificem adversus Desiderii Longobardorum arma tueretur, bis in Italiam descendit, domitæ Longobardorum rabie, dono data a Pipino patre confirmavit, eisque haud commendam Hetruriae partem addidit, quæ omnia si voluisset, retinere sibi poterat. Ibid.

#### EXEMPLA DOMESTICA.

S. Ignatius minutissima quæque inquirebat ad necessitatem subditorum spectantia. Et cum P. Polancus admiratus tantam dili-

gentiam quæreret, cur non immediatis Superioribus tales curas relinqueret? respondit ille: Scias, Polance, me ita erga omnes affectum esse, ut libenter scirem, si possem, quoties pulex mordeat in nocte nunquamque e Fratribus meis. Ex eadem charitate et liberalitate emptori Domus Professæ præcepit, ut ex tribus veluti classibus rerum venalium in foro nihil emeret pro cibo et potu nostrorum, quod esset in prima classe pro solis Cardinalibus aliisque ejusmodi viris principibus expositum; nec ex tertia pro solis pauperibus et mendicis; sed ex media, ex qua pro mediæ sortis hominibus cibum potusque emi consuevit. LANCIZ. opus XII. n. 32.

Franciscus Borgias iter ingressurus comiti negotium dabat, ut de tenui viatico quemvis mendicium obvium in donatum abire ne sineret, ea tamen moderatione adhibita, ut a mendicio etiam profectam elemosynam appareret. Si nihil, quod aliis largiretur, suppeteret, animo lætus, quod sponte inopiam esset amplexus, mente hæc agitabat: Si esset, quam libenter tibi darem! Vita I. IV. c. VII. n. 3.

Cum P. Franciscus Villanova, ut domesticis, quos regebat, melius provideret, paucius alios, licet idoneos, in Societatem admitteret, visus est fontem divine pietatis obstruxisse; nam subsidia ne consueta quidem cum omni diligentia conquisita acquirerebat. Unde laxatis cancellis liberalitatis tantam mox omnium rerum necessariarum affluentiam expertus est, ut in posteriores quoque annos redundaret. Hist. Soc. p. II. l. I. n. 136.

Cum P. Bernardinus Realinus Vice-Rectoris officio functus, jussisset abundanter dare vinum externis infirmis, et domesticis fabricis; septemque ideo urnæ ex dolio exhaustæ essent, P. Franciscus Riviera minister cum Fratre socio cellam ingressus, dolium plenissimum invenit, quod diu duravit, et contra morem climatis semper melius inventum est. Vita, c. XIV.

Alphonsus Rodriguez vidit quoddam demones nube densa, protrusa supra vineam, illam grandine frequenter penitus destruxisse; ideoque jussus est a Deo Superiori significare, id ob defectum spei, et parcitatem ipsius contigisse. LANCIZ. opus. XII. n. 33.

P. Balthasar Alvarez, quoniam experiebatur valde expedire, liberaliter dare subditis, quæ erant corporalia, ut liberius illi

spiritualibus attenderent; ideo valde liberalis erat, ac sollicitus, ut omnibus daretur, quod ad cibum et vestitum erat necessarium. Quamobrem ipsemet singulis mensibus cum vestium custode singula cubiula visitabat, et quærebatur, quid cuique deesset, ut ei prospiceret; id curabat scripto notari, et rationem postea exigebat, an esset executioni mandatum. Hinc tam liberaliter Deus Collegio, quod regebat, prospexit, ut exiguis redditibus, et absque contractis debitis, sexaginta aut septuaginta personas aleret. *Vit. c. XXII, fol. 260 et 269.*

## EXEMPLA PROFANA.

Alexander Severus nullum diem prætermisit, quo non pium aliquid liberale, humanumque fecerit, publici tamen aerarii ratione habita, ut, quamvis imperaret, secretum tamen moderatum se prudentemque Republicæ dispensatorem esse debere. LAMPRIDIUS, *quod Longinum in Polyon. f. 656.*

Clemens et Ptolemæus, Ægyptiorum Reges, adeo beneficii erga alios extiterunt, ut inde Beneficiorum cognomina deportarint, *Evergæte dieti. ALEX. AB ALEX. I. III, c. XI.* Cyrus, Persarum Rex, nullum in suis liberalitatis suæ prætermisit; non pecuniam, sed amicos, quibus ipse plurimum divitiarum contulisset, suos esse thesauros ducens.

Admodum liberalis fuit Ptolemæus Philadelphus, Ægyptiorum Rex. Nam quod Judæorum legem in Græcæ ex Hebraica lingua transferri per Eleazarum Principem sacerdotum curaverat, ut hujus operæ gratiam interpreti ferret, ultra ingentem vim auri domo Hierosolymorum templo datam, Judæorum quoque gentis captivos omnes per totam Ægyptum conquistos sub prioribus Regibus bello captos (quanquam centum millium numerum æquarent), pecunia sua a dominis omnes redemit, ac libertate donavit, ut sine populorum jactura, quod ab omnibus Regibus fit, ipsius liberalitas exerceret. Magnum profecto liberalitatis argumentum et Ptolemæo Rege dignum; etsi tanta res in longe quoque potentiore plusquam ingens videri debuit. *BAP. FULGOS. I. IV.*

Magna liberalitate erga Romanos usi sunt Massilienses, cum audita clade, qua Romanos Galli affecerant, publico funere mortuos Romanos prosequuti aurum quoque Roma-

no populo miserunt, ut facilius se a Gallis redimerent, quod cum Massilienses egerint, nondum aliqua societate aut fœdere Romanis conjuncti, procul dubio et amoris et liberalitatis laudes ferre majores debent. *Ibid.*

## SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut illi, qui in certaminibus stultitiæ præmia proponunt, tuba liberalitatem suam indicantes omnibus in palæstra decertantibus pecuniæ largitionem pollicentur, atque denuntiant; ita beneficentia omnes in miseris positos ad se vocat, non vulnerum aut plagarum præmia, sed ærumnarum et incommodorum remedia accedentibus impertiens. S. GREG. NYSS. *in Or. de Pauper. Amord.*

Sicut in telis eadem ferri vis est, sed in infinitum interest, utrum excusso læcto torqueantur, an remissa manu effluent; ita illud, quod datur; scilicet interest, quomodo detur, an tarde, an cito. *SENEC. I. de Offic.*

Sicut sæva et acerbissima est crudelitas, quæ trahit pœnam, et misericordiam genus est, cito occidere; ita majore muneris gratia, quæ minus diu pependit. *Ibid.*

UTILITAS. — Sicut fruges non tam ingenio solis, quam cœli beneficio, melioremque temperie lætius exuberant; ita et meliores artes eximiaque ingenia benignitate, humanitateque Principum virorum evocantur, et excitantur. *JUSTUS EPISC. in Cant. Cantie.*

Sicut quo quis sapius docet eo evadit doctior; ita quo plura quis liberaliter aliis largitur, tanto ditior efficitur. *LANG. in Pol. fol. 656.*

DIGNITAS. — Sicut divitum filii ornatus gratia aureum monile gestant in collo, nec id unquam deponunt velut nobilitatis signum circumferentes et ostentantes; ita et nos oportet beneficentia semper indutos esse, declarantes, quod filii sumus ejus, qui misericors est et solem suum exoriri facit super bonos et malos. S. CARYS. *hom. 1, in ep. ad Philipp.*

## MOTIVA.

Quia *Natura* eam suadet; neque enim, teste Cicerone, quidquam est naturæ accommodatus. *CICERO. I. I, de Offic.*

Quia *Æquitas* eam exigit; cum enim hæc suadeat, ut, quod quisque vult, alii ipsi faciant, id ipse quoque aliis præset. Quid magis æquum est, quam ut liberalissimos nos erga alios ostendamus, cum nemo non alios quoque erga se liberalissimos esse exoptet.

Quia *Utilitas* singularis eam promeretur; neque enim quidquam fere adeo aptum est ad divitiarum augendas, quam liberalitas, uti sapienter advertit Boetius, dum dixit: Tunc solum pretiosa, est pecunia, cum usu largiendi desinit possideri. Hinc Alex. Magnus a quodam interrogatus, ubi suos thesauros haberet? In serenis istis, inquit, amicis demonstrans; quia summam semper liberalitatem erga illos ostenderat. *BOET. de Consolat. Max. s. vi.*

Quia *Dignitas* rara eam commendat; id quod pulchre et breviter S. Greg. Naz. indicavit, dum dixit: Nihil tam divinum homo habet, quam de aliis benemereri, maxime inimicis; tunc enim similes efficitur Patri nostro, qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos. (S. GREG. *orat. de Paup. Amore.*) In que verba recte S. Chrysost.: Ne igitur, inquit, negligentia nostra talibus nos fraudemus bonis et præmiis, quæ etiam rationem transcendunt. S. CARYS. *hom. XXVII, in Matth. v. 44.*

Quia ipsa etiam *Juventus* ad eam invitatur; quid enim jucundius, quam multorum sincera amicitia frui? Atqui verus et præcipuus fructus beneficii, teste S. Bernardo, est benevolentia. Id quod et Cicero sentit, dum dixit: Liberalitate qui utuntur, benevolentiam sibi conciliant; et quod altissimum est ad quiete vivendum, charitatem. *CICERO. I. II, de Fin.*

## MEDIA.

*Firmiter sibi persuadere, quod, quidquid proximo damus, ipsi Deo offeramus*, qui cum, et ditissimus sit, et liberalissimus, non patietur se liberalitate vinciri ab homine; quo argumento S. Ignatius Loyola suos ad liberalitatem excitavit, dum dixit: Et in universum loquendo quanto aliquis se arctius Deo astrinxerit, et liberatiorem erga summam Majestatem se præstiterit, tanto eum in se liberatiorem etiam experiatur, et ipse in dies magis idoneus erit ad gratias et dona spiritualia uberius recipienda. *P. III, Constit. c. 1, § 21.*

*Memnisse, quod respectu divitiarum nobis creditarum dispensatores duntaxat simus*. Quis autem dispensator sciens divitem et liberalem dominum se habere, non liberaliter quoque dona sibi concedenda aliis largiretur, et præcipue si et domino vehementer id placere, amplumque sibi ob talem largitionem præmium promissum secretum? Atqui talis Dominus Deus est, ut ipse Christus apud S. Lucam indicavit dicens: Quis putas est fidelis dispensator et prudens, quem constituit Dominus supra familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram? Beatus ille servus, quem, cum venerit Dominus, invenerit sic facientem. *LUC. XII, 42.*

*Proximos suos, ut amicos, immo ut patres intueri*; cum enim amicorum (quanto magis fratrum?) omnia sint communia, quis non vel maximum inde stimulum sentiat, ad sua bona alteri quoque, quoad fas est, communicanda?

## ASCETICA.

Tria de hac virtute bene discernere, et docere debet Asceta. Primum est, ut sciat, erga quos præcipue liberalitatem suam ostendere debeat, nempe 1. et primario erga Deum, utpote, qui tum liberalitate sua præcedente, tot beneficiis comprobata; tum futurorum amplissima promissione, tantopere nos excitat ad mutuam liberalitatem. 2. Erga inimicos, juxta illud Christi monitum: « Diligite inimicos vestros, et benefacite his, qui oderunt vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos. (MATTH. v. 44.) 3. Erga eos, qui magis indigent, nam in collocando beneficio, inquit Cicero, si cætera paria sunt, hoc maxime officii est, ut quisque maxime opus indigeat, ita ei potissimum opitulari. Optime autem societas hominum conjunctioque servabitur, ut si quisque erit conjunctissimus, ita in eum benignitatis plurimum conferatur. (CICERO, I. II, *de Offic.*) Quales autem his sint, pulchre S. Ambrosius explicavit his verbis: « Est etiam probanda liberalitas, ut proximos seminis tui non despicias, si egere cognoscas; melius enim est, ut ipse subvenias illis, quibus pudor est, sumptus ab aliis deprecere. Consideranda etiam in largiendo etas atque debilitas; nonnumquam etiam veracundia, quæ ingenios prodit natales, ut se-

nibus plus largiariis, qui sibi labore non jam queant victum querere. Similiter et debilitas corporis, et hæc iuvanda promptius. Tum si quis ex divite cecidit in egestatem, et maxime si non vitio suo, sed aut latrocinis, aut proscriptioe, aut calumniis, quæ habebat, amisit. S. AMBR. I. I de Offic. c. xxx.

Alterum est, ut modum seu circumstantias in liberalitatis exercitio observandas bene cognoscat, nimirum. 1. ut *in animo bono et sincero* exerceatur; nam ut bene S. Ambr. advertit: Hoc primum queritur, ut cum fide conferas, fraudem non facias de oblati; ne dicas te plus conferre, et minus offeras. Quid enim opus est dicere: In tua potestate est largiri, quod velis? Frausfundamentum solvit, et opus corrumpit. (S. AMBR. I. I de Offic. c. xxx.) 2. Ut *ordinarie* exerceatur; nam, teste S. Aug. « Omnes quidem homines æque diligendi sunt; sed cum omnibus prodesse non possis, his potissimum consulendum est, qui præ locorum et temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictus tibi, quasi quadam sorte junguntur. » (S. AUG. I. I de Doctrin. Chr.) Hinc recte Seneca: « Videbo, inquit, quando dem, et cui dem, quemadmodum, quare; nihil enim sine ratione faciendum est, non est autem beneficium, nisi quod ratione datur, quoniam ratio omnis honesti comes est. » (SENECA, I. IV de Ben.) 3. Ut *gratis* exerceatur; nam, id, teste S. Aug. *pie sit et humaniter, quod sine spe recipiendi feceris.* (S. AUG. I. VI Medit.) 4. Ut *hilariter* præstetur; nam quod mesto animo defertur, aut necessitate extorqueatur, ingratum est, parumque gloriosum, ut S. Greg. Naz. testatur. (S. GREG. OR. de Paup.) 5. Ut *cito* confertur; nam *omnis benignitas prosperat*, Seneca teste, *et proprium est libenter facientis, cito facere. Tardè velle, nolentis est.* (SENECA, I. II de Benef. c. v.) Immo, ut S. Greg. Naz. ait, *congruatur beneficii gratia promptitudine, et celeritate.* (S. GREG. I. c.) 6. Ut *personæ*, cui datur, conditio æstimetur; *quædam enim*, inquit recte Seneca, *minora sunt, quam ut exire a magnis viris debeant, quædam accipientes minora sunt.* 7. Ut vel *occulte* detur, si fieri potest, aut certe oblivione sepeliatur, quod collatum est; nam *perfecta liberalitas est*, inquit S. Ambr. *ubi silentio quis egit opus suum, et necessitatibus singulorum occulte subvenit; quem laudat os pauperis, et non os suum.* (S. AMBR. I. I de Offic. c. v.) Non male

tamen Seneca discrimen facit inter beneficium, dum ait: « Præcipiunt auctores sapientia, quædam beneficia palam danda, quædam secreto. Palam, quæ consequi gloriosum est, ut militaria dona et honores, et quidquid aliud notitia pulchrius fit. Rursus, quæ non producant, nec honestiorem faciant, sed occurrunt infirmitati, egestati, ignominia, tacite danda sunt, ut nota sint solis, quibus prosunt. Quid enim opus est se loqui? Quid alienum occupare officium? Est, qui illud facere honestius possit, quo narrante, et hoc laudabitur quod ipse non narras. Hæc beneficii inter duos lex est, alter statim oblivisci debet dati, alter accepti nunquam. » SENEC. I. c. de Benef. cix.

Tertium est, ut bene cognoscat fontes, ex quibus hæc liberalitas oriri solet, quos quidem Valerius Maximus non incommode assignasse videtur, dum dixit: Liberalitatis duo maxime sunt fontes probabiles, verum iudicium et honesta benevolentia; nam cum ab his oritur, tunc demum ejus ratio constat. Porro iudicii hujus veritas in consideratione circumstantiarum superiori numero explicatarum consistit; benevolentia vero in promptitudine voluntatis, ad bona sua liberaliter aliis communicanda; quæ quidem facile obtinebitur, si serio perpenderit quis, certoque sibi persuadeat, nullam fere esse virtutem, quæ Deum hominesque æque conciliat, atque in sui amorem trahat, ac liberalitas. VALER. MAX. I. IV, c. viii, de Liberal.

#### CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione verborum: « Exiit, qui seminat, seminare semen suum; » (MATTH. XIII, 3) possunt beneficia per liberalitatem collata semini comparari, et ostendi, quod etiam hoc semen varios effectus sortiatur. Et 1. quidem aliquid cadat secus viam, nimirum quod ex vana gloria aut alio simili modo censetur. 2. Aliud cadat super petrosam, nimirum illud, quod ex rapina aut furto comparatum expenditur. 3. Aliud cadat in spinas, nempe quod in ingratos conjicitur. 4. Aliud in terram bonam, nempe quod ex se habet omnes conditiones ad beneficium requisitas; hoc enim si in eos, qui vicissim benefaciunt, spargitur, fructum trigessimum affert; si in eos, qui non benefaciunt, sexagesimum; si in eos, qui malum pro bono

rependunt, centesimum producit. Quæ omnia fusius probari, et exemplis illustrari possunt.

Ex occasione sententiæ: Quæ mensura mensi fueritis, eadem remetietur vobis; (Luc. vi, 18.) ostendi potest, quomodo mensuram optimam in bonis temporalibus et spiritualibus obtinere valeamus, si scilicet prius, et nos simili mensura liberales nos exhibeamus. Ostendatur ergo, quamnam sit hæc mensura, scilicet ea, quæ quatuor conditiones a Christo indicatas habet. 1. Ut sit *bona*, qualis erit, si sit res aut actio aliqua Deo non displicens, et proximo utilis. 2. Ut sit *conferata*, id est, cum sincero animo et intentione facta. 3. Ut sit *congruata*, id est, cum magno fervore et alacritate exercita. 4. Ut sit *superfluenta*, ut non obstantibus gravibus difficultatibus aut adversitatibus constanter ad exitum perducatur. Ostendatur deinde, quomodo vicissim Deus has conditiones in suo præmio, maxime æternæ beatitudinis observaturus, atque adeo vere mensuram bonam, conferatam cogitatum, et superfluentem in sinum nostrum daturus sit.

Ex occasione sententiæ a S. Bernardo prolata: « Amat charitas, amat immensitas, et nos vicem rependimus cum mensura; » ostendi potest 1. quam liberalem se Deus erga nos homines ostenderit, dum scilicet omnia fere beneficia *optimo modo* contulit, uti patet præcipue in creatione (dum dedit perfectissimum entis gradum, scilicet *intelligere*) justificatione (dum hanc per ens nobilissimum, gratiæ videlicet infusionem peragit) institutione SS. Eucharistiæ (dum in ea corpus et animam, humanitatem et divinitatem per intimam et stupendam unionem communicat) redemptione (dum pro hac vitam et famam omnem, cum sanguine impendit) glorificatione (dum per visionem et fruitionem Deitatis suæ, qua nihil in terris et cœlis perfectius aut præstantius reperitur, beatos nos facit.) Ostendatur proinde, quam æquum sit, ut nos quoque sine mensura, seu optimo, quo possumus, modo serviamus, faciendo scilicet semper, *quæ, quo modo, et quia Deo magis placeant*, seu quod idem est, optima, quoad *substantiam, modum, et finem*, ut suo modo etiam de nobis dici queat: Vidit cuncta quæ fecerat, et erant valde bona.

#### MISCELLANEA.

QUALITAS. — Nec aurum, nec argentum, nec quidquam eorum, quæ a proximis accipiuntur, beneficium est, sed ipsa tribuentis voluntas. Animus est, qui parva extollit, sordida illustrat, magna et in pretio habita dehonestat. SENEC. I. I de Benef. c. v et vi.

Si bene quid facias, facias cito, nam cito factum Grotum erit, ingratum gratia tarda facit.

AUSONIUS.

Officio fungitur suo, qui tantum dat, quantum pro fortunam licet. EBRENSIS, in tom. prior. Sentent.

Odiusum est genus hominum officia exprobrantium, quæ meminisse debet is, in quem collata sunt, non commemorare qui contulit. CIC. in Lelio.

Munera, crede mihi, cum ingentis, Posthume, dones, Auctoris pereant garrulitate sui.

MARTIAL. I. V.

Interdum et ipse, qui juvatur, fallendus est, ut habeat, nec, a quo accipit, sciat. Arcesilaus, ut aiunt, amico pauperi, et paupertatem suam dissimulanti; ægro autem, et ne hoc quidem contenti, desse sibi sumptum ad usus necessarios, cum clam succurrendum judicasset, pulvino ejus ignorans subiecit, ut homo inutiliter verecundus, quod desiderabat, inveniret potius, quam acciperet. SENEC. I. I de Offic. c. ix et x.

UTILITAS. — Theophrastus interrogatus, quidnam vitam conservare humanam, respondit: Beneficentia. STROBUS, ser. xli.

Melius puto apud pauperes, quam apud divites magnos collocari beneficium; nam qui locupletēs sunt, beneficio obligari nolunt, aut certe aliquid a se expectari arbitrantur; cum vero inopi bono benefacis, nihil simile timendum est. CICERO, I. II, Offic.

Beneficium dando accipit, qui digno dedit. PUBL. MIMUS.

Beneficium sæpe dare, docere est reddere. Idem.

Munera, crede mihi, placent hominesque Deosque; Placatur donis Jupiter ipse suis.

OVID. de Arte amandi.

Sæpe Jovem vidi, cum jam sua mittere vellet Fulmina, thure dato sustulisse manum.

MARTIAL. l. V.

Extra fortunam est, quicquid donatur amicis, Quas dederis, solas semper habebis opes.

Idem.

Dionysius senior cum ad filium ingressus, vidisset magnam vim aureorum et argenteorum vasorum, non est, aiebat, in te regius animus, qui his peculis a me acceptis neminem tibi amicum fecisti. Nempe sentiebat absque civium benevolentia regnum nec teneri, nec parari, hanc autem numeribus maxime conciliari PLUTARCH. in *Apoph.*

DIGNITAS. — Pythagoras rogatus, qua ratione homines Diis similes haberi possent, respondit: Si veritatem amplecterentur, et cunctis beneficerent. ÆLIAN. c. XII, *Var. Hist.*

Qui dat beneficia, Deos imitatur, teste Seneca, qui repetit, fœneratores. L. III, de *Benef. c. xv.*

Si Deos imitaris, da etiam ingratas, nam et sceleratis sol oritur, et piratis maria patent. Id. l. IV, c. XIV.

JUCUNDITAS. — Unum bene positum beneficium multorum amissionum solatur damna. Beneficium est benevola actio, tribuens gaudium, capiensque tribuendo. PLUT. in *Locum.*

Agasilas sibi multo jucundius esse dicebat, si milites suos ditaret, quam si ipse ditesceret.

#### AUCTORES.

Bernardinus Rosignolus, de *Disciplina Christ. Perfect.* l. IV, c. xxxviii.

Jacobus Alvarez de Paz, tom. II, *operum Spirit.* l. II, p. II, c. vii, §. 12.

S. Albertus Magnus, in *Paradiso anime*, c. xvii.

Ludovicus de Ponte, de *Perfect. Christ.* tract. III, cap. III.

#### LINGUA.

##### QUODÆ ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est membrum animalis, ad cibum gustandum, vocemque formandam, a natura ordinatum. De qua Hugo:

Lingua dicitur, quia lingit adulando, mordet detrahendo, attrahit mentiendo. Ligat, et ligari non potest; labilis est, et non teneri potest, sed labitur, et fallit. Labitur ut anguilla, penetrat ut sagitta, tollit amicos, multiplicat inimicos, movet rixas, seminat discordias, uno ictu multos pereunt, et interficit. (Hugo, l. II, de *Anima*.) Lucius Apuleius ait, linguam aliis animalibus ad explendam victus necessitatem, inferendasque ventri copias datam, homini autem, ut etiam sit promptuarium recte rationis, et suavissima orationis, ut, quæ prudentia corde concepit, ea sensu promat oratio. Sive lingua humana (de hac enim solummodo hic est sermo) est membrum præcipuum hominis ad alimentum hominis discernendum mentisque conceptus articulate exprimendos a Deo illi concessum. LUC. APULEIUS, de *Dogm. Platon.*

DIVISIO. — Dividitur in bonam et malam, uti Æsopus indicavit, qui interrogatus, qui esset bonum et malum? Lingua, respondit. (*Maxim. de log.*). Nam, ut S. Jacobus ait, in ipsa benedicimus Deum et Patrem, et in ipsa maledicimus homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt. (JAC. III, 9.) Porro bona lingua est, quæ bona bene loquitur, id est, modo et intentione bona; nam, S. Gregorius recte advertit, in omni, quod dicitur, necesse est, ut causa, tempus, et persona pensentur, si verba sententiæ veritas roborat; si hanc tempus congruum postulet, et si veritatem sententiæ et congruentiam temporis, personæ qualitas non impugnet. (S. GREG. I, VI *Mor.*) Hinc et S. Hieronymus monet, ut verbis sit jugum et slatera, atque mensura, ut sit gravitas in sensu, sermone pondus, atque in verbis modus. (S. HIER. *sup. Ezech.*) Mala lingua est, quæ mala aut bona male loquitur, quod, teste S. Hieronymo, contingit, quoties aut in non opportuno tempore, aut non in opportuno loco, aut non ut convenit audientibus, loquimur. Quæ a Sancto Jacobo inflammare rotam nativitatis dicitur, quia sicut lamina ferreæ ignite affiguntur a ferro ad rotas, easque undique ambiunt; ita lingua mala totam vitæ nostræ cursum occupat. (Idem, l. c.) Hanc divisionem lingue in malam et bonam, indicavit clare etiam S. Hieronymus, dum dixit: Lingua nil medium habet, aut grande bonum est, aut grande malum. *Apud. Drex.* l. II *Phaet.* c. xli.

Sanctus Thomas aliam adhuc accidenta-

lem assignat divisionem per hæc verba: Scriptura ponit linguas, per quas significantur peccata diversa, quæ committuntur per linguam. Prima est lingua dolosa, quæ est in duplicibus et proditoribus. Jerem. ix. *Sagitta vulnerans lingua eorum doctum locutus est.* Secunda est lingua magniloqua, quæ est in superbis et arrogantibus. Ps. XI. *Disperdat Dominus universa labia dolosa, et linguam magniloquam.* Tertia est lingua serpentina, et venenosa, quæ est in invidis et detractoribus. Psal. cxxxix. *Averunt linguas suas sicut serpentes.* Quarta est lingua mendax, in peccantibus, et mentientibus, et falsis testibus. Prov. vi. *Sex sunt, quæ odit Dominus, inter quæ sex enumerat quoque linguam mendacem, proferentem mendacia, testem fallacem, et eum, qui seminat inter fratres discordias.* Quinta est lingua blanda, quæ est in mendicantibus; de hac dicitur in Proverbiis vi. *Custodiam te a blanda lingua.* Sexta est lingua tercia, quæ est in lenis et lenonibus; de hac Ecclesiasticus inquit: *Lingua tercia mulieres viratas eiecit.* Septima est lingua iniqua, quæ est in adulatoribus. Octava est lingua gladiosa, quæ est in iracundiis, qui convitiis occidunt multos. Nonaliqua fallax, quæ est in malis mercatoribus et deceptoribus. Decima est lingua blasphemica. Undecima est lingua acharis, id est, sine gratia, quæ est in histrionibus et derisoribus. S. THOMAS DE VILLANOVA, *ser. in Dom. IV, post Pasch.*

Sed et S. Gregorius aliam offert divisionem, dicens: Tria sunt hominum genera, quæ gradatim ductæ ad se qualitatibus dissident; sunt namque alii, qui et ad loquendum prava concipiunt, et a locutione sua, nulla silentii gravitate refrenantur; et sunt alii, qui, cum prava concipiunt, magno se silentii rigore restringunt; et sunt nonnulli qui virtutum usu roborati, usque ad eam celsitudinem provehuntur, ut ad loquendum ne in corde quidem perversa concipiunt, quæ silendo compescant. Eliphaz itaque, ex quo sit ordine, ostenditur, qui conceptum sermonem tenere se non posse testatur; quia in re et illud innotuit, quod se loquendo offensurum novit; neque enim retinere verba, quæ non potest, vellet, nisi per hæc se vulnera inferre prænosceret. Boni enim viri, freno consilii retinent præcipationem verbi, et caute considerant, ne relaxantes lingue lasciviam, auditorum conscientiam incauta locutione transigant. Unde bene per Salo-

monem dicitur: « Qui dimittit aquam, caput est jurgiorum; si aqua quippe dimittitur, cum lingue fluxus effrenatur, sed dimissis aquæ, caput jurgiorum efficitur, quia per lingue incontinentiam discordiæ origo propinatur. Igitur sicut pravi in sensu leves sunt, ita in locutione præcipientes, et reticere pertractando negligunt, quæ loquuntur; sed quod levis conscientia concepit, levior protinus lingua prodit. S. GREG. I. V *Mor.* c. xxi.

ACTUS BONE LINGUE. — Primus est, *Deum benedicere, gratias agere, predicare, orare*, uti Sanctus David instruit orans: *Domine labia mea aperies, et os meum annuntiat laudem tuam.* Ps. l. 47.

Secundus, *proximum instruere, corrigere, consolari*; de quorum primo Apostolus ait: *Frates, si præconcepatus fuerit homo in aliquo delicto, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis.* (GAL. VI, 1.) De secundo autem et tertio idem dixit: *Rogamus autem vos, Fratres, corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes.* I. THESS. IV, 14.

Tertius, *suos sensus et affectiones pro corporis, animique salute proponere*, nam, ut bene Plato advertit, propter hoc nobis datus est sermo, ut præsto forent mutæ voluntatis indicia. PLATO, in *Timæo.*

ACTUS MALE LINGUE. — Hos P. Jeremias Drexelius per alphabetum explicavit, fusiusque descripsit. Sunt autem sequentes fere: Adulatio, Blasphemia, Convitium, Detractio, Exprobratio, Frans, Garrulitas, Hypocrisis, Imprecatio, Calumnia, Lascivia, Mendacium, Nugacitas, Ostentatio, Perjurium, Querimonia, Rixa, Susurratio, Turpilium, Vituperatio.

CIRCUMSTANTIE IN LOQUENDO OBSERVANDÆ. — Quinque potissimum ab Ascetis assignantur. Prima est, *Quid sit loquendum*; ut scilicet, quemadmodum Hugo ait, nunquam in sermonibus otiosa adhibeantur verba.

Secunda est, *Cui loquendum*, ubi idem Hugo ait, considerandum esse, an propter se, vel illum quis loquatur. Si propter se, videat, ut ille talis sit, de cuius colloquio utilitas sibi provenire possit. Si propter illum loquatur, caveat, ne talis sit ille, qui vel sua exhortatione non indigeat, vel ita etiam in malo sit obstinatus, ut exhortatione alterius corrigi non permittat. Si ergo sic est, nunquam nisi ad nostram vel aliorum eruditionem loqui debemus. *Ibid.*